HENRICO STEPHANO

†O, quot sunt vbicumque, doctiorum
\# Sidus nobile, solq. litterarum:

O qui flosculus es typographorum
HENRICE; hos loquor elegantiores, †
Non ignobilium gregem inuenustum; #
Vt lætiscó hilarus, diu cupitum
Cum te conspicio alloquorq. coram!
Vt tacta modó dextera triumpho!
Tu messem vberem adorea beata
Laté disseris Aonum per arua;
Alter Triptolemus: sed & politus,
Et doctus magis, vtilisq. nobis,
Qui pulli sumus elegantiarum:
Tu tot secula dirutas, in oris
Galliæ, Hesperiæ, Allemaniæq.
Instauras iterum Atticas Athenas;
Vt Troiam Ennosigæus atque Apollo:
Verum isti recidiua condidére,
Tuæ perpetuum vigent Athenæ,
Fato perpete, nescioq. mortis.
Salue ergo, decus ô typographorum
HENRICE, & decus eruditiorum;
Et me quæso tuum, tui colentem,
Tuis annumera volens lubensq.
Si te perdito amo aleq. amore,
Si facundum animi feracis vber
Admiror, veneror q., gratiasq.

Non cesso canere optimè merenti
De re Musica, & omnibus Camœnis;
Si iam mancipium diu tuum sum,
O Parnassi hyacinthe, nobilisq.
Cyrrhæ sesame, Galliaq. laus.

observantiæ & amoris
testandi lub. mer. f.

Jan. Gulielmius
Lubecensis.

Gulielmius.